

paulatim valde elongati. Perianthium pentaphyllum, laciniis lanceolatis, acuminatis, & inæqualibus. Fruētus striati, subrotundati, constant ex duobus seminibus, ellipticæ formæ, parum striatis, stylo bifido instructis, quorum alterum tribus foliolis calicis coronatur, & alterum duobus. Odor nullus; sapor pimpinelloideus. Floret mense Julio, semina maturescunt Augusto.

Habitat prope Cryptam cornealem super monte Manas ad Boickam, etiam in montibus circa Reckam, abundanter deprehenditur circa Lippizam super Karschto in Carniola interiore.

Iconi ad latus fistitur in *a.* flos, in *b.* semina aucta.

Cum hæc planta in multis cum oenanthe pimpinelloide convenit, facile pro eadem haberetur; cui viva ad manus non est, hanc iconem expressam cum illa conferre poterit, quam Cl. Jacquin in citato suo opere Tab. 394. exposuit, ipseque ultro discrimina, quæ inter utramque intercedunt, partim in radice, partim in foliis detegit.

#### N. 6. Tab. 2. fig. 4.

### Clathrus (*Fungus*) Hydriensis.

In tanta fungorum copia, quos partim Cel. Linneus, & D. Schæfferus determinarunt, quem præsens tabula exhibet, non reperi.

Fungus mediocris, subtriangularis semiputridis arborum radicibus innascitur, subcoriaceus, mollis. Stipes durus, subovatus; curvus, membrana albida obductus. Calamus digitii minimi crassitudinem habet; parum striatus, niger, villosus. Pileum gerit figuræ quasi triangularis, coloris bruneo-nigri, subitus lamellosus labyrinthiformis; lamellæ versus calatum sunt aliquantum parallelæ; superne pileus nodis distinctus, quorum figura fructibus pinus pineæ similis est; cum vero nodi alii majores, minores alii sunt confluentes, efformantque figuram jam pentagonam, jam tetragonam. Ex centris nodorum striæ versus latera procurrunt. Partes aliquæ revolutæ, aliquæ planæ, membrana subtilissima, facili negotio separantur. Substantia spongiformis; lamellæ undulatae, tenues, elasticæ, nec succum læse fundunt. Odor putridus suaveolens.

Habitat in collibus prope Hydriam, versus Merslarupa, Zhernaverch. Ad latus figuræ lamellæ adstant. Crescit mense Julio.

#### N. 7. Tab. 2. fig. 5.

### Leontodon Terglorensis.

Crescit super monte Terglou, ubi glacialis esse incipit, & hoc quoque in locis duntaxat humidis, reperitur etiam in alpibus circumiacentibus.

Tota planta inodora est, unum, duos, aut tres pollices alta. Radix perennat, crassa, nigra, pollicis longitudinem adaequat, fibrillas undique generans, fuscas, albescentes. Caulis firmus, hirsutus, unicus, teres, foliosus. Folia infima duobus pollicibus longiora, amplexicaulia, runcinata, sinuata, acuta, pilis nigris obducta. Superiora profunde dentata, admodum hirsuta; ultimum folium lineare, integrum, pilosum, nigrum.

Calix ex oblongo globosus, constat squamis imbricatis, lanceolatis, acuminatis, erectis, nigris & hispidis. Corollulae sulphureum colorem habent, quinque dentate patentibusque, calicem bis superant. Antherae luteae. Germina oblonga, glabra, styli longi, stigma luteum, & revolutum.

Receptaculum album, nudum, subcarnosum, semina fusca, cuneiformia, pappo coronantur sessili, piloso, ad latus figuræ repræsentatur semen unicum cum pappo.

Figura, quam hic intueris, exhibet naturalem plantæ magnitudinem, ad quam libere ex terra argillacea exurgit. Haec, si frustulis lapideis tegitur, scapum nanciscitur gracilem, longiorenumque, ita ut aliam omnino formam induat.

### N. 8. Tab. 2. fig. 6.

### Myosotis Terglorensis.

**C**lar. Linneo genus myosotum, de quo pauci, & ii quoque non clares satis, & dilucide tractarunt, in acceptis referre debemus, tanta accurate elaboreatum.

Ego primo intuitu hanc plantam non hæsiravi ad genus aretiæ refferre, quemadmodum in Collectaneis (\*) Berolinensis, in quibus de itinere meo per alpes carniolicas, & carinthiacas ago, illam nominaveram; at diligentiori subin examine adhibito detectisque singulis notis deprehendi, eam Myosotim esse.

Tota planta colorem tristem, vel viridem fuscum habet, excepto flore. Odor gratissimus, sicut syringa Linnei.

Radix perennis, sublignosa recta, profunda, multum tortuosa ratione situs, tres, vel quatuor pollices longa, fibras paucas habet. Caulis foliosus, imbricatus, hirsutus; rectus vel procumbens; ex una radice plures quoque caules nasci solent.

Fo-

---

(\*) Beschäftigungen der Berliner Gesellschaft Naturforschender Freunde. Tom. I. 1780. in. c. fig.


T.2.



T.1.



T.2.



T.3.



T.4.



T.5.

T.6.

